



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 180. Tunc milites præsidis suscipientes Iesum in prætorio. v. 27.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

fissimus erat, quia regnare capit à ligno, trahens ad se omnia. O Pilate ubi nunc est potestas tua quam dicebas te habere ad dimittendum & crucifigendum? Timor est potestas tua. times perdere gratiam Cæsaris, times perdere bona temporalia & honores, hæc erat tua potestas.

Rex magne Deus noster fortis, & omnipotens, amici tui potentes sunt non inimici, quia cum nil possidere velint in hac vita, nisi quod ipsis competit ex iustitia, ideo non timent perdere omnia propter te visibilia & caduca, ut invisibilia & æterna recipiant. Hinc illi nimis honorati sunt, umbra sua sanarunt homines, verbo erexerunt claudos, &c. Pilatus autem & omnes similes ei revera valde imbecilles sunt, à veribus consumpti sunt.

§. 180. *Tunc milites præsidis suscipientes Iesum in pratorio. v. 27.*

Audita hac sententia crucis Christi à Præside, & data licentia ad flagellandum primo, vidisses undique accurrentes, quasi rabidos canes ad prædam vel ut apes ad pungendum melle illitum, milites circumdantes Iesum, & manum applicantes & dirè religantes, quid enim aliud erat expectandū ab instigatis & emptis ad vindictam per Iudæos, quam ut omnem modum crudelitatis possent in eo exercere, quem uti Iudæum oderant gentiles, & ut iocularem Regem gaudebant irridere, ut olim possent iactare, se Regem aliquem in Iudæa flagellasse. Igitur suscipientes eum è manibus præsidis in tuas (ò duras manus!) non suscipiebant modo, sed trahebant, nec trahebant, sed trudebant ad locum castigationis sc. atrium quoddam. ò quot pugnis interea onustus fuisti? mi Salvator! & quis te ita inhumaniter suscepit, trussit, traxit, pugnis excepit, nisi ego per continua, cheu, peccata mea, & tu pateris, nec contradicis verbum!

O Dulcissime Jesu quis sum ego? vilis homuncio, indignus peccator! ut pro me annihilari velis & tam crudelia sufferre. quam pretiosa, quamque chara est ergo in oculis tuis anima mea, pro qua tam insigne das pignus, Corpus scilicet tuum inimicis tuis non ad conversationem civilem, sed ad tractandum sicut ipsi volunt inhumanissimè. ò amor Dei mei! ò pretiosus thesaurus, quo me redemisti, æterne Salvator! quam me ab æterno dilexisti! ut pro me ita volueris vulnerari, conteri, affligi, pungi, excruciaci, etiam potius extringui, quam me perire sineres.

O Salutaris hostia! quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribuisti mihi? en ego me ad te converto, te ferventer redamandi cunctaque, quæ me à tuo possint amore abstrahere, evitandi affectu, ac desiderio accedo, quo unus tecum effici merear affectu, voluntate & amore. enim vero spes mea omnis, consolatio & refugium meum tu deinceps eris.